DEO OPT. MAX.

QUÆSTIO MEDICA PROPOSITA

A CLARISSIMIS VIRIS D. D. CONSILIARIO AC MEDICO REGIO ET DOCTORIBUS MEDICIS COLLEGII ROTHOMAGENSIS, PRO AGGREGATIONE DISCUTIENDA.

An eryſipelati pulmonis phrenitide & diarrhœâ implicito venæ ſectio emetico præferenda.

I.

HABET homo à mente, formâ ſuâ, unde homo ſit; à motabili partium configuratione, unde corpus vivens. Divinæ hujus fabricæ functiones cettis Mechaniſmi legibus exerceri harmoniæ ratio probat. Fibrarum pullitiem ſingularumque partium texturas, quibus ſolida ſtruitur compages, ſi curioſiùs luſtraveris, inſtrumenta reperies ubique meditata. Hæc videre tibi videberis fulcimenta, funes, trochleas determinantes, torcularia, præla, filtra, canales, alveos receptacula. Adhæc cernitur moveri, in motu determinari, labi convenienter volubilis multiformiſque latex. Saniratem verò, quam alit rerum corporis concordia, earumdem diſcordia dejicit. Ex parvo vel inconſpicuo miaſmate graviores plerumque morbos proficiſci experimentum in proparulo eſt: halituoſa materies, hujus vel illius ſucci excretionis feriatio, puncta denique mutationis radices fiunt, quibus millenæ morborum ſpecies egerminant. Cur adeo debilia morbi ſeminia tam latè eluxurientur, in inverſis fibrarum oſcillationibus venator: pullulant adulterini ſucci, quandiu eorum motus aut circuirus fit exlex: divortium unius liquoris in improprium vas cæterum liquidorum agmen deturbare pote eſt, niſi œconomiæ facultas princeps delirium adverrar, avertatque. Tam arctè conſpirant liquores cum alveo quem decurrunt, ut alterutrius ſubſtantiæ labefactatio alteri mox communicetur: elaterem ſuum fibræ haud exprimunt inæqualiter, quin tendentiæ, directiones determinationeſque ſuccorum abnormes enaſcantur. Humores ſemel à ſuis dimoti ſedibus aliò aſpottantur, vel in ſanguine præfocati ad hæc vel illa viſcera indiſcreti truduntur, ubi ſtaſes, obſtructiones, erethyſmos, phlogoſes, ſpaſmos, flatulentias, meteoriſmos, dolores committunt: inde damnum capit hæc vel illa pars, verſùs quam determinantium cauſarum vis inclinaverit. Hinc in pulmonibus ſæviunt catharri, fluxiones, obſtructiones, inflammationes, eryſipelata: hinc urgente cauſâ, in cerebri locis & membranis inoleſcunt turbæ, furiæ phrenitidum parentes; quin &, continuatâ ſymptomatum ſetie, fieri poteſt ut ab errore ſecretionum nati, perperàm expreſſi, ad glandulas aut ſecretorios tubulos inteſtinorum retropreſſi ſucci diarrhœam procteent.

I I.

SANGUIS, humorum princeps, natutæ parens, ſimulque filius ſingulas corporis partes adit & alit: nobilem dixeris Proteum, qui juxtà canalium typum & cutvaturas factus multiformis, hic ſeri, illicbilis, ibi lymphæ, alibi ſpirituum titulo ſuperbit: materiem puta fibrarum oſcillantium jugo docilem, diditu facilem, in motus quoſlibet ſituſve pronam & habilem; cui pabulum chylus, motum vibratio cordis, millies iterati circuitus tenuationem conferunt. Præter communem agitatoriamque canalium ſymmetriam in ſanguine elaborando, evidentioris notæ officinæ quædam occupantur. Has inter pulmonem habeto, marſupium membranaceum, locellis mille ac veſiculis compactum, arctari dilatarique idoneum: muſculum dixeris pendulum, tot ex muſculis, quot adunatum veſiculis. Sanguis ibi ad minima canalium puncta applicatus teritur, in infinirum propè attenuatur; adeo exigua fiunt ſuccorum veſiculares ſpiras pervadentium fila. Pulmonem officium tam publicum, maſſæ totius ſanguineæ Eurypum, embolo cordis addictum propiùs, aeris tamdem ſubjectum inclementiis, ſæpè turbari miraberis minùs, quàm non dejici prorſùs ac peſſumdari. Quæ autem pulmonum, non ſecùs ac cæterarum partium affectus formant cauſæ, ſemper elocati ſunt ſucci, qui à patriis ſedibus abrepri, determinationum impetu, ad indebita loca pelluntur; in quibus indigenis ſuccis addentes ſeſe, turbas, tumultus & diſcordias movent. At ex omnibus ſuccorum tranſmigrationibus, eorum prægnanti parti intolerabiliores ſunt, qui figurâ, mole, vi irruptionis, à genio loci & inquilinorum ſuccorum naturâ prorſùs alienantur. Si autem intrà capacitares vaſorum pulmonis impellatur ſanguis mole gravis, craſi aut greſſu improprius, dum erit ad impellendum potentia majot, ad recipiendum erit minor capacitas: reticulares arteriarum diſtributiones, fines vaſorum ſanguiferorum ac lymphaticorum arterioſorum ortus, quem præ violentiâ admiſerunt ineptum ſanguinem tranſmittere haud ſufficiunt, hinc ſtagnatio: urgente vetò impetu, anguſtiis conniventibus propulſus ulteriùs protruditur humor; arteriæ minutæ vix antea viſibiles obſtructæ diſtenduntur; inde rubedo: tum vaſa lymphatica arterioſa, antea pellucida & inviſibilia, eodem cruore turgida ſplendentem monſtrant rubedinem inflammationis eryſipelatoſæ veram ideam. Ar majoris peticuli minaces ſunt phlogoſes, ubi membranaceis ſeu neuro-lymphaticis pulmonum vaſis eæ advenerint: in iſtis enim acerrimus ſenſus eſt, qui ſtimulantis materiei impatiens, nervoſum omne ſyſtema, jure quodam ſocietatis, in laboris conſenſum trahit. Argumento erunt cerebri meninges, cæterarum membranæ matres vulgò ſancitæ; iſtæ namque totæ ſunt vis, impetus, niſus & elater, gradibus activitatis tantò ſupetiores, quantò affectus vehementior alicubi partibus nervoſis incubuerit. Sanguis igitur, infelici pulmonum molimine malè ſubactus, cum incondito greſſu ac vitiatâ craſi cerebrum adortus, non modo placidos circuituum motus exaſperat, ſed & membranis jam per conſenſum laceſſitis irretitus proprios tumultus addit. Conflictum ideo duplicem ſuſtinent meninges, oſcillationes iterant, pugnant acriter, ur moleſtantes ſuccos excutiant retundant ve: verùm inſultui phlogiſtico diſcutiendo impares ipſæ ingurgirantur. Ab illis rectoribus oppreſſis tota cerebri functio peccamen mutuatur: tenuiores corticis ac meditullii fibrillæ, canaliculi & membranulæ vellicatæ temerariè ac ordine nullo luctantur: ſuccorum proinde abnormes inibi fiunt excurſus; idearum tandem ſenſibilium, internorum ſenſuum rationiſque depravatio inoleſcens ſymptomara phrenitidis adimplet. Hos inter tumultus à molli ſuâ habitudine recedit longè nervorum tonus; quæ iſtum occnpat ſpaſtica diatheſis, eadem oſcillantium vaſorum ordinem invertit; exinde pulſûs frequentiæ ac duritiei combinatas varietates, conſequenter feſtinariores, tumultuantes deviatos humorum excurſus, tamdem præpoſteras aut feriantes ſecretiones deduxeris. Quidquod lympha, ſanguineæ maſſæ pottio feracior (ſi quidem nutritionis, ſecretionum ac tranſpirationis fons eſt ac radix) à debitarum ſibi viarum denegatu, ſtupendum quot incrementa acquitat, quot patiatur evagationes! Hinc tot in ſanguine ſcaturiunt humorum reſorbentiæ, egurgitationes, qui ſucci quâ fluere debeant neſcii, quâ queunt aufugiunt: hinc eruuntur ſucci liquidioris fugæ, colliquationes, diarrhœæ; aberrantis liquidi ſigna infauſta; à ſubducto enim ſuo vehiculo ſanguis nullibi ampliùs labitur convenienter; ſed nutans ubique & hæreſcens gtaviora mala alit & adauget.

I I I.

NON diu impunè in ptincipatu ſe opprimi natura patitur; habitudinem totam minatur devolutio præceps, ubi regia corporis nutat. Quam feritatem humoribus natura denegat partium affectarum conditio tribuit: pulmones ac cerebrum res ſunt ad functiones tum vitales cum animales maximè neceſſariæ; ſymptomatum proinde ex illarum læſione enaſcentium vim ac celeritatem augurator. Dum cruor ingenti fibrarum irritatarum motu nervorumque violenriori ſuccuſſu agitarus, hoſtis veluti inſolens locis omnibus inſultat; pertinaci ille inſuper diarrhœâ ſuo jugiter balſamo defraudatus brevi naturæ conſiliis ſervire fit impar, oppreſſis jam cerebro & pulmonibus labem indeclinabilem facturus. Ergo ne diutiùs morboſum certamen otioſè erir inſpiciendum? Occaſio, ſi uſpiam, hîc eſt præceps. Verum enim verò, quem primò movebit lapidem ſagax naturæ conſiliorum indagator? An illicò præmiſſum emeticum feliciorem curativæ paginæ partem adimplebit? Vomitorio equidem ſtomachi fibras ſuccuti ac evibrari datur, quæ non ſecùs ac ductatii funes, partes quibus cohærent, aur unde proficiſcuntur, emoveant. Interea medentis animus erit, ut vellicata, quotquot in ſtomachum deſinunt, excretoriorum oſcilla dehiſcant, hæcque verſùs deturbati humores, in partium affectarum levamentum, eliminentur. Conſtabit eventus, dummodo ductiles ſint ac fluxi educendi humores, fibtæque ſpaſmo liberæ appellatos ſuccos elabi non recuſent. At diſcrimen monet hypotheſis, de quâ agitur: in pulmonum & cerebri locis inflammatis ſtamina carnearum nervearumque fibrarum vellicari ac criſpari non levis eſt ſuſpicio; rigiditatis enim notaculum ptæbent pulſûs durities rumultuanſque nervorum commotio. Adde profundiùs impingi & altiùs incuneari materiem phlogoſeos, quam ſpaſmo ſtrictæ ac diſtentæ fibræ retinent ac denſant. Quid plura? vehiculo liquidiori, hîc tam neceſſario ad reſolutionem, ſuccos impactos per diarrhœam orbari evidens eſt: tot argumenta immorigeros eſſe necdum ductiles humores, quibus eryſipelas pulmonum phreniti ſque foventur. Aliud ab emetico auxilii imprimis opus eſt, quod citò meliùs per loca magis convenientia ſedes affectas ab infarctu expediat. Adhæc idoneam ſe offert venæ ſectio; mitigatoria enim eſt & prophylactica, determinans, non extorquens; ſuccorum univerſim minuit molem, diſtenta laxat, impacta reſolvir, ſuccorum tamdem à circuitionis gremio aberrantium aptiorem determinationem producit.

I V.

MORBUM eſſe mixtum quid ex duplici motu, altero qui ſecernentis naturæ, altero qui turbantis morbi eſt, nuſquam medicinæ ſapientem fugiet. Febris ipſa, vulgi terriculamentum, artis prudentibus gubernaculum, genuinum naturæ conamen eſt, quo exterminationem morbi omni ope ea molitur. Eo autem collimare omnem febris rationem intelliges, tum ut cumulatos & ſtagnantes ſuccos eliquando diſſipet, tum ut illos inſiliendo ad idonea exceptoria remittat: ſic fiunt morborum ſolutiones, judicationes & criſes. Luctæ genus eſt. Luctæ modum quæris? Quæ inſtrumenta? quæ vires? En miniſtrat *elater* per totum corpus diffuſus; cæca equidem & arcana vis, fibrarum pluſquam capillaribus filis à creatione inſita, à quâ totius machinæ ſenſitivæ & loco motivæ mirabilis ordo ſoboleſcit in ſtatu ſano, in morboſo quoque extimeſcendæ magis ryrannides exercentur. Quidquod totum corporis nerveum eſt, ideo ſenſibile; fibra, ideo motabile; elater, ergo rigiditatis, commotionis & irritationis capax. Idcircò medentis munus in eo poſitum eſt unicum, ut de elatere ſeu tono partium probè admonitus, otdinis ſit vindex & hatmoniæ reparator; qui de erroneâ determinanti potentiâ, potiuſquàm de determinatorum ſuccorum ſaporibus, ſollicitus, vergentias motuſve ad naturæ rythmum ambulantes, ſi qui ſint, ſedulò à morboſo tumultu diſcernat; ſic naturæ opituletur ducatque quò ipſa tendit. Verùm in complicatis de quibus agitur affectibus ubi naturæ motûs ſigna? Cum undequaque, præ ſymptomatum ſævitiâ, obfucata, oppreſſa, impetitaque potiuſquàm enitens illa videatur. Hoc manûs opus eſt minùs quàm conſilii. Symptomata ipſiſſima interrogentur. *Ex ungue leonem.* Tot inter turbamenta, quæ minaciora ſunt ea delectu evertat medentis auxilium, quod tale ſit ut elateris nimietas & ataxia remirtantur, turgeſcens minuatur humorum moles, infarctus revellantur, evagantes tamdem ſucci proprios lares remeent; ne ctuor in caput & pulmones jam oppreſſos diutiùs irruens abſceſſus indeclinabiles citò gangrænoſos lethumque inducat.

V.

OCCASIONEM, quæ omnis medelæ anima eſt, loco ſuo captare artis, ut attificis, induſtriæ ſumma eſt. Qui emeticorum ſtimulo dociles in uno morbi tempore obſecundate notantur eliminandi humores, altero obſurdeſcunt. Rationem exigis? Exhibet humorum per varia morbi tempora ſitus aut determinatio. Porrò è memoria excidat nullatenus ſuccos, unde nunc pulmonum & cerebri inflammationes cauſantur ipſaque fovetur diarrhœa, ipſiſſimos eſſe, qui in alituram, ſecretiones, ac tranſpirationem erant ceſſuri. Illi autem, à primo morbi inſultu, inttà propria vaſa retineti, tardari, augeri, turgeri incipientes, coctionis naturam adhuc ſervantes, exitui parati, impulſi, arietantes, excerni aut evacuari nitentes orgaſmi præbebant imaginem. Confeſtim accedente dextrâ manu, quæ, ſtimuli operâ, ſtomachi & inteſtinorum fibras vellicaſſet (modò adhuc conſtitiſſet verſùs viſcera turgere materiem, quæ ſe talem nauſeâ, *horripilatione* monſtrat) cocti humoris evacuatio feliciter educta fuiſſet. Hoc genuina Hippocratis effata aſſentiunt Aphor. 22. Sect. 1. *concocta purgare oportet, non cruda neque in principiis niſi turgeant.* Verùm præceps eſt momentum, rarum præſertim ineuntibus morbis inflammatoriis, quo naturæ mancipatus turgens regatur humor, non regat: hinc appoſitè concludit Hippocrates: *plurima verò non turgent.* Exinde cogitare expedit quàm à coctione & proinde ab evacuatione alienus ſit præſens in eryſipelate pulmonis & phrenitide humorum ſitus. Succi ſunt longè à propriis cavitatibus ſecretoriiſque ſuis deviati, quos erroneos detinet ac ſtrangulat continentium vaſotum ſpaſmodica diatheſis, denſat ac ptotrudit ingens vibratio cordis, ſucceſſivaque liquidioris vehiculi jactura. Hîc igitur non vi opus eſt, quæ extergat, aut evellat: obtinendum eſt, non extorquendum: qui altè longeque impacti ſunt ſucci in viam non facilè revocabiles ſunt; flecti volunt, non cogi. Id autem venæ ſectionis è brachio opus erit ac beneficium; ea namque mali fomites cominùs in repagulis deturbat; majora deplet vaſa: cumque hæc verſùs tendant vel minima vaſorum capillamenta, tali ac blandâ determinatione præfocati ac diverſi ſucci ſecuriùs revelluntur; partium ambientium tollitur preſſio; totius ſimul habitudinis, proindeque pulmonis & cerebri vaſa allevantur: hac ratione plurimi qui ab orbitâ delirabant liquidiotes ſucci diarrhœæ fomites revulſi, cordis & arteriarum potentiæ ſubjecti, directiones & pronitates debitas reſumere incitantur. Ne autem manca evadat licet probè cœpta curatio, dum fluxiles ſunt, venæ ſectionis opeıâ, qui antea immorigeri erant ſucci, juxtà ſucceſſivum indicationum ordinem ſanguinis reiteretur miſſio, vel non; diluentia, blandè excuſſoria, forſan emetica, papaverina vel acidiuſcula loco ſuo uſurpabit ſedulus naturæ vergentiarum obſervator. Interim maneat integrè concludendi ratio

Ergo eryſipelati pulmonis, phrenitide & diarrhœâ implicito venæ ſectio emetico præferenda.

ASSERTIONES.

Cortex peruvianus maturis variolarum puſtulis ſuperveniemti febri utilis.
Fœminæ, quibus febricitantibus menſes deficiunt non ſtatim ſunt è ſaphenâ ſecandæ.
Erethyſmus datur in omni morbo.
Naſcenti infanti cordis arteriarumque momentanea duntaxat pulſatio eum mundo vixiſſe certò probat.

PROBLEMATA.

An muſcularis omnis motus à ſucco nervoſo?
An fluidorum potentia omnis à ſolidis?
An vaſa lactea ſoli ab inteſtinis ductus chiliferi?
An mortuum in utero fœtum pulmonum in aquâ ſubſidentia certò probet?

PARADOXA.

A ſuccorum corruptelâ nulla morbi origo.
Purgatio non unâ cacochymiæ cauſa inſtituitur.
Cutis purgatio ſaluberrima
Prægnantis mulieris convulſiones fœtum non necant.

Aſſerebat GUILLELMUS-TIFAINE DELAROCHE, *Rothomagæus, Doctor Medicus Cadomenſis.*

Diebus *anni milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi primi à ſecunda ad veſperam.*

IN AULA CARMELITARUM.